

Patrem, sicut referunt prædicti Annales, cap. 3, n. 1, Innocentius muneribus prosequitur, qualia dantem, accipientemque deceret: nam non corruptilibus auro argenteo, neque his, quæ auro et argento comparantur; sed pretioso thesauro sacrorum ossium per miraculum etiam comprobatorum, atque approbantium Innocentii donationem. Certe in S. Cæsarii martyris dente insigne fuit id quod Gaufridus Clarævallensis in Actis Bernardi narrat... lib. iv, cap. 1. » Dens enim ille, qui nulla vi ab aliis prius evelli poterat e martyris capite, a sancto abbate, præmissa ab eodem oratione, incredibili facilitate deinde ablatus est, seu auferentis, ut ita loquar, digitis obsecutus. Factum hoc pluribus narratur apud biographum citatum: qui ibidem etiam memoriæ proditum reliquit, per eundem S. Bernardi tunicam, quæ apud Templarios Romæ remanserat ante ipsius ex Urbe discessum, sacerdoti cuidam, apud eosdem gravissima febri usque ad desperationem vitæ laboranti, pristinam valetudinem fuisse restitutam.

296. Jam vero quantum vir sanctus Roma discedens sui ibidem desiderium reliquerit, ex his verbis apud Ernaldum biographum lib. n, cap. 5, num. 138, colligere quilibet liquido potest: « Exeuntem Roma prosequitur, deducit clerus, occurrit populus, universa nobilitas comitatur: nec poterat sine communi mœre dimitti, qui colebatur amore communi. (Laerymantur post eum, et se ab eo postulant benedici, et orationibus ejus cum omni devotione se commendant.) » Dein « Accepta... ab Innocentio licentiâ, confirmata pace vir Dei regreditur, et maximum domi reportans gaudium, a fratribus cum gratiarum actione devote suscipitur. » Sed nos sanctum Patrem ad Claravallenses suos reducem tunc convenimus cum Ernaldo, quando antea ipsius supplerimus silentium de rebus nonnullis, quæ in itinere ad eosdem instituto evenere, illas aliunde collecturi.

§ XXVIII. Acta pro ecclesia Lingonensi; cura tirorum Claravallensium; continuatio sermonum super Cantica; obitus B. Gerardi fratris germani; Gaufridus cathedræ Lingonensi admotus; S. Hugo in spiritu et corpore adjutus; iter Dunense; mors S. Malachie.

297. Virum sanctum, pro communi Ecclesiæ honore itinera suscipientem, comitari solebant miracula: nullumne igitur edidit in itinere Italico, quando Claramvallem redibat? Historicus Cisterciensis ad annum 1138, cap. 3, num. 3, nullum quidem certo determinat, sed credit tamen, eum non sine miraculis iter illud instituisse, dicens: « Residuum vitæ, saltem per Italiam ab antiquis omissum; nec credendum, peractam sine miraculis, quæ tamen a frequentia jam non mira, ut non vilescerent, fere inter leges communes reputabantur. » Hinc itaque Galliam ingrediamur, quo dum pervenisset S. Bernardus, nactus est occasionem, qua ecclesiæ Lingonensi fructuosam ac omnino necessariam pararet operam. Etenim transcens Alpibus sicut per-

hibet laudatus historicus num. 4, cum jamjam Claravallis in januis esset, divertere Lugdunum compulsus est, consecrationem Lingonensis electi impediturus. Nam Lingonenses professione tantum monachum, sed vita et moribus hominem degenerem; et opinione fœdum usque ad infamiam, contra fas, contra jus, contra promissa, contra præceptum Innocentii papæ (Burgundia principis filio interveniente) in pontificem sibi nominaverant. Ergo tum primum delatam ad ejus aures horruit sanctus prævaricationem in tantis viris, maxime in Lugdunensi metropolita, et doluit vicem dilectæ sibi Ecclesiæ, si forte vera essent quæ dicebantur: quam ne lupo permitteret exponi, relictis filiis, patres adorsus est... Verum quid tunc Lugduni gestum sit, ex eadem quam ad Innocentium scripsit, epistola supra a nobis adducta referamus. Est ordine 164, et ad quam lectorem mitimus.

298. Rebus itaque apud Lugdunenses ita dispositis, charissimos sibi filios Claravallenses revisit sanctus Pater, et maximum domi reportans gaudium, ut paulo ante retulimus ex Ernaldo, a fratribus cum gratiarum actione devote suscipitur; quanto autem cum affectu, nihil opus est verbis exprimere. Prima vero cura, quæ paternum illud pectus coquebat erat tota in tironibus sui cœnobii Claravallensis: hoc namque ingressum, ad illorum cellam sine mora se contulisse, auctor est historiographus Cisterciensis c. 4, egregiam sancti Patris erga filios charitatem commendans ex hoc Exordii magni textu, qui apud Tissierium distinctione 2, cap. 12, hæc memorat: « Explicitis itaque causarum nexibus, pro quibus exierat, ad monasterium revertitur, quam citius opportunitas datur, cellam novitiorum ingreditur, quatenus novelli et teneri filioli, quos lacte nutriebat, quanto diutius sacræ exhortationis ipsius dulcedine caruerant, tanto copiosius ab uberibus consolationis ejus reficerentur... Cum ergo, sicut prædiximus, cellam novitiorum intrasset, et in lingua sua illa placabili et edificatoria cunctos hilares, et ad observantiam sacri propositi ferventiores reddidisset, unum ex eis seorsum revocans dixit ad eum: Fili charissime, unde tibi hæc tristitia, quæ intimos recessus cordis tui tam perniciose depascitur? »

299. « Novitio autem præ verecundia vix aliquid loqui audente, ait illi vere mitis, et humilis corde, qui se pastorem, et non mercenarium ovibus exhibere noverat: Scio, filii dilectissime, scio ea, quæ circa te aguntur, et propterea paterno pietatis affectu tibi compatior. In hac namque tanta mora absentia meæ, cum desideratissima semper mihi fratrum meorum præsentia corporali carere compulsus fuisset, et per Domini gratiam concessum mihi esset, ut quod corporaliter non poteram, spiritualiter supplerem, rediensque in spiritu singulas circuirem officinas, qualiter se fratres haberent, diligentius explorans, etiam ad cellam novitiorum accessi: in qua cum universos in timore Dei exsul-

tantes, et ad poenitentia labores accinctos invenissem, te solum nimia tristitia deperire considerans, ingemui. Cumque blandiendo tibi, te mihi astringere vellem, tu me aversatus, faciem a me avertens, amarissime flebas: ita ut cuculla nostra lacrymis tuis infunderetur. Hæc dicens Pater sanctus, et salutaribus monitis aggressus captivum, mœrorem fagavit, et ad spiritualis lætitiæ libertatem jam pene tristitia absorptum revocavit. » Hæc ibi; sed ex iis, quæ ibi præcedunt, « Iste fidelis et prudens dispensator annona Dominicæ quodam tempore pro causis Ecclesiæ solito diutius foris moratus fuerat: siquidem pro pace faciendâ, pro schismate resarciendo, pro hæresibus confutandis, frequenter ex mandato summi pontificis, licet invitissimus, exire cogebatur: » ex his, inquam, non satis est perspicuum, an factum, quod narravi, quodque Manricus prædicto S. Bernardi regressui ad Claravallenses innectit, revera tunc acciderit, an alio ex pluribus. Sed quidquid sit de tempore, laudatus Manricus num. 2, rem ita confirmat: « Hanc eandem desolati novitii consolationem antiquior auctore Exordii Godefridus, Bernardo Patri, dum vixit, a secretis, post mortem in abbatia etiam successor, etsi non immediatus, in quodam, quem de ipso habuit, sermone ad fratres in capitulo, reliquit scriptam: ubi non solis verbis peractam docet, sed etiam osculo. » Et mox rem gestam his verbis confirmat: « Hæc, ait (sanctus videlicet Pater) et propius illum accedere jubens, sua illa piissima dignitate osculatus, etc. Et post pauca, uti addit, sed gemina quædam sacrorum gratia laborum in verbo veritatis, et in osculo charitatis confestim tristitiam depulit. »

300. Verum quibus sacris commentationibus ad suos redux, et jam suus, operam impendit? Ernaldus abbas, exposito ejus reditu, cap. 5. Abbas sanctus ad studia sua reversus, dilectum amplectitur epithalamium, inquit cap. 6, idem biographus. Hoc etiam affirmat, et magis distincte exponit Annalium Cisterciensium concinnator num. 3: « Tune vero, ait, rursus intermissum opus in Cantica, fratrum suorum precibus resumens, tribus supra viginti, quos jam ediderat, vigesimum quartum sermonem superaddidit, initium capiens ab ipsa intermissione. » Audiatur ipse sanctus Pater sermone 24 in Cantica, quem sic orditur: « Hoc demum tertio, fratres, reditum ab Urbe nostrum clementior oculus e cælo respexit, et vultus tandem serenior desuper arrisit nobis. Quievit Leonina rabies, finem accepit malitia. Ecclesia pacem recepit. Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus, qui eam per hoc ferme octennium diro schismate conturbabat. Num vero ego gratis de tantis periculis ero redditus vobis? Vestris desiderii donatus sum, vestris me profectibus paro: quorum vivo meritis, volo vivere studiis, et salutem. Quodque dudum cepta in Cantica me exsequi vultis, libenter quidem accipio, et dignum arbitror, inter-

ruptum potius resarcire sermonem, quam novi ordiri quidpiam, » etc.

301. Duplex elueidando hujus sermonis exordio subserviet animadversio. Nam prima est ex Mabilonii in illum notis, ubi col. 1346, observat, insignem esse inscriptis diversitatem ab initio sermonis usque ad locum, quem indicat ibidem, et addit ista: « Ex hac varietate nata est magna confusio in plerisque editis, in quibus refertur utrumque exordium, sed perperam. Hæc enim varietas inde orta est, quod Bernardus bis hunc eundem sermonem pronuntiavit: primo quidem cum exordio breviori anno 1137 antequam Romam tertio proficisceretur: secundo vero, cum inde rediit anno 1138 eundem repetit cum altero exordio, ut interruptum opus ab ultimo hoc sermone resumeret. Codex unus regius num. 4511 consequenter eundem sermonem sub duplici exordio repetit: unus item Thuano Colbertinus semel hoc loco cum uno exordio, et iterum post sermonem 60, cum altero. »

302. Altera est animadversio ex Annalibus Cisterciensibus num. 4, videlicet indicare sanctum Patrem in initio ejusdem sermonis, sese « tertio jam ab Urbe redisse; » id vero eorumdem Annalium confector de Curia potius, quam de Roma intelligendum monet, a qua citra Alpes existente semel redierat, bis ultra: alias bis tantum transalpinasse haec ipsa series historiæ nos edocuit. Sed curiam ubique existentem, Roman et Urben diei non semel vidimus. Sic Bernardus Innocentium Viterbii adiens anno proximo, Romæ nihilominus ab eo susceptus dicitur. » In majorem hujus rei probationem effertur illud Ernaldi: « Hæc dicens, et benedicens flentibus universis, discessit, et cum multa reverentia ubique susceptus, demum Romam pervenit, in cujus adventu tam dominus papa, quam fratres lætati sunt. » Quod vero asseruerat dictus Manricus, probat a simili exemplo: « Sic etiam venerabiles Joannes Ilbodisque, cum Paschalis II Trojæ existeret, Romam iisse, rediisseque dicuntur, atque inde privilegium adportasse: quippe quia Roma curia vocabatur, nempe a Sede, etiamsi casu alibi consisteret. » Vide Exordium parvum Cisterciense apud Tissierium cap. 10, et Annales Cistercienses ad annum Christi 1100, cap. 3.

303. Eorumdem Annalium scriptor ad annum sæpenumero memoratum 1138, cap. 5 et 6, multa ac varia colligit de beati Gerardi qui germanus fuit S. Bernardi frater, pretiosa morte in conspectu Domini, rebusque hæc occasione peractis. Pathetica enimvero sunt, quæ vir sanctus in charissimi sibi fratris obitu cogitavit, dixit, ac fecit. Merentur omnino legi, quæ doctor mellifluus pronuntiat in sermone 26 in Cantica, ubi nunc doloris, nunc amoris, nunc lacrymarum et luctus suavissima vicissitudine et dulcedine vere Bernardina affectus identem intermiscet, et cumulatissimis laudibus eum extollit, operamque ipsius implorat tanquam cœlitum contu-

bernio jam donati, Actum de illo apud nos est ad diem 13 Junii, tomo II ejusdem mensis, pag. 699. Laudatus porro Manricus causam Lingonensis ecclesiae a se intermissam, et male servatæ fidei repetitos conatus prosequitur cap. 7 et 8. Quæ de ea nobis sunt præmissa, lege supra; quæ vero deinde in eadem controversia acciderint difficultates, commemorat citatus auctor: sed eorum quæ singillatim ibidem referuntur, synopsis ex illo exhibebimus.

304. Electus itaque Lingonensis suam consecrationem denuo promovere conatur, patris ejus Lingonensibus novas ad hunc finem machinas adhibentibus. Stat ab ipsius etiam parte electi, qui erat monachus Cluniacensis, venerabilis Petrus Cluniacensis abbas, tanquam pater defendens filium, ac S. Bernardi auctoritati opponens suam; hunc quippe nimis in credendo facilitatis accusat; illum vero a culpa excusat. Quid multa? Ludovicus Galliarum rex aditur ab eo: a Bernardo autem interpellatur Innocentius papa: varia utrique in hac causa a litigantibus agitantur, ut videre licet in epistola 164 ab eodem sancto ad eundem pontificem data. Porro S. Bernardus tam constanti, tam invicto animo rem suam prosequitur, tamque fortiter electum illum, et indignum infulis hominem, seu potius gravamina ejus persequitur, ut nullis precibus a proposito suo dimoveri potuerit, Petrus Cluniacensis litteris etiam convenit Innocentium, quæ proferuntur a Manrico cap. 7, num. 7, nec non S. Bernardum, quas ibidem legere licet num. 8 et sequentibus. Post hæc cap. 8, pergit idem historicus dicere de intentata electi Lingonensis consecratione, cujus executionem nec Bernardi epistola una ad summum pontificem, quæ est ordine 167, nec altera ad cardinales 168, quas adducit, impediri potuisse memorat. Sed vir sanctus concepti semel pro justitia ac communi bono propositi semper tenacissimus, quidnam reliquit intentatum, ut felicem huic controversiæ exitum procuraret?

305. Bonæ partis fautores ac patronos laudat ac confirmat in epistola 165, Innocentii papæ iterum pulsat aures epistola 166, cum post tot labores consecutus fructum, ut, quæ in favorem hominis cathedra Lingonensi indignissimi fuerant facta, sint rescissa et abolita. Nam consecratus amovetur a cathedra episcopali: instituitur electio nova: substituitur novus præsul. Et primo quidem, ut scribit Manricus sub finem capituli octavi, « Bernardus Pater electus est, quem ipsi etiam victi summe arderent. Sed eo penitus onus recusante, cum plures alii idonei circumferrentur, præter spem, præter omnium intentionem, unus Gaufridus omnibus occurrit Clarævallensis prior, vir sane magnus, quem omnes vellent, quem omnes postularent, a quo nullus omnino dissentiret. » Sic ille, cap. 9, subnectens regem novæ electioni infensum, Bernardi ad eundem epistolam ordine 170, nec non constantem Petri Cluniacensis amorem erga sanctum Patrem: qui regem eundem « obsequentem in omnibus expertus, Gau-

fridum tandem mœrens a se avulsit, » ait prædictus Annalista numer. 6, eundem mox laudans. Controversia ista Lingonensis intexitur etiam tomo IV Galliarum Christianarum a col. 575 novissimæ editionis; collectio autem gestorum Godefridi datur ibidem a col. 577, in qua dicitur « ejus electio plenum effectum non nisi anno 1139 sortita esse. » Apud Guillelmum lib. I Vitæ S. Bernardi cap. 6, num. 51, dicitur « sancti viri et propinquus sanguine, et conversione socius, et ex tunc per omnia individuus comes. » Ernaldus vero in eadem Vita lib. II, cap. 3, num. 114, « Aderat, inquit, Godefridus prior... propinquus ejus in carne et spiritu, vir sapiens et constans... et sanctitatis formam retinens, » etc. Hunc itaque finem habuere gravissimæ in causa Lingonensi difficultates ac lites, quibus vir sanctus, constantia summa et impigro labore consuetus alias vincere, insignem pro justitia palmam retulit, triumphalem ac Lingonensi ecclesiae salutarem coronidem eidem imponendo. At nunc alia colligere prosequamur sanctissimi abbatis gesta.

306. Inter ea, quæ referunt Annales Cistercienses, cap. 10, de Hugone, monasticum ordinis Cisterciensis institutum amplexo, huc pertinet epistola sancti Patris ad illum scripta, ordine 351 alias, nunc apud Mabillonium 322, in qua « laudat vitæ religiosæ propositum; præmunitque eum adversus tentationes, et ad constantiam ac perseverantiam excitat. » De hoc sancto Hugone jam pridem tractavimus ad diem 1 Aprilis, a pag. 46; uti etiam de vita et cultu ejus publico. Chalemotus vero illum annuntiat et laudat in serie sanctorum, etc. Ordinis Cisterciensis ad diem 16 Martii. Nec a proposito deviavero, si cum Manrico, num. 7, capituli proxime citati retulero, « qualiter a Bernardo Patre curatus sit medicina et industria mista miraculo, quamvis constet hunc annum non concernere, quia nullus alius certus designatur, » etc. Factum refertur apud Vincentium Bellovacensem, lib. XXIX, Speculi historialis, cap. 33: « Post hæc cepit nimis abstinentiis se affligere, ita ut pene sensum et memoriam perdere videretur. Interea S. Bernardus, qui tunc vivebat, venit ad eum per Dei providentiam, et jussit eum mitti in infirmitorium, et ut ei singulis noctibus vigiliæ cantarentur, priusquam cæteris infirmis, quatenus postea haberet generalem licentiam loquendi ubi vellet; et ita per Dei misericordiam id brevi convaluit. »

307. Historiographus Cisterciensis, cap. 43, num. 8, inquit an S. Bernardus adierit Dunas. Ac primo quidem Ægidium de Roca (imo de Royal) allegat, in Annalibus Belgicis ad hunc annum 1138, id affirmantem his verbis: « Beatus Bernardus in Flandriam venit, Dunis Robertum abbatem stabilivit, et privilegia a Theodorico comite pro Dunensibus impetrat, tantum terrarum scilicet, quantum propriis aratri excolere valuerint, » etc. Huic auctori addit idem historiographus Meyerum, qui Annalium Flandriæ, lib. V, ad an-

num 1138, hæc notata reliquit: « Eodem anno D. Bernardus abbas Clarævallensis in Flandriam venit prædicatum, ubi sanctis concionibus ac salutaribus exemplis permultos ad piam beatamque perduxit vitam. In quibus Arnulphus quidam cognomine a Majorca tanta sollicitudine custodivit illius doctrinam, tantaque patientia longos gravesque ante obitum pertulit morbos, ut de ejus conversione ac constantia sæpe Bernardus gratias agens Deo, diceret ipsum fuisse tanquam aurum in fornace probatum. Apud Furnenses autem cum verbo Dei insisteret, Dunensibus cœnobitis Cisterciensium tradidit institutum, ac Robertum monachum suum, ad quem etiam nunc exstant ejus epistolæ, patria genteque Brugensem, abbatem inibi fecit; qui tam celebri floruit fama sanctitatis, ut ab ipso Bernardo jam animam agente electus sit abbas Clarævallensis. »

308. Sed adventus ille sancti Patris non placet Manrico, qui loco mox producto hæc scribit: « Ego, ut adventum hoc anno dubium reputo, sic ab auctoribus gravibus notatum præterire non debui, imo nec potui. Sed verius censeo, mansisse in Claravalle, longum exsilium pertæsum, nec quidquam non Roberto crediturum quantumvis arduum. » Sed duo illa argumenta non videntur esse magni momenti. Non primum, quod a tædio petitur: nam tot aliis vir fortis non absterrebat tædiis, indefesso labore communis boni causa susceptis: cur autem hoc? Non secundum: quia tametsi Roberti meritis plurimum deferret: quid obstat, quo minus masculo pectore itineris istius molestias devoraverit, ut majore cum solemnitate ac securitate poneret novæ istius plantationis exordia? Quamvis autem nobis non constet, an rationes peculiare habuerit, quæ eo ipsum evocarint, atque adeo in certo affirmare non possumus; ita etiam illas eum habuisse, certo negare non possumus; præsertim quando præter auctores citatos alii adventum ejus in Flandriam memoriæ prodidit, et quidem distinctius, quam duo præcedentes, quorum verba protulimus. Malbrancus enim noster tomo III De Morinis, lib. X, cap. 3, pag. 188, ita loquitur: « Porro in Flandriam venit D. Bernardus, et Iserecium pagum, seu Furnense territorium suis salutaribus concionibus excoluit, et excolendo divertit ad Fulconense contubernium, et nardi sui ita illud replevit fragrantia, ut non dubitavit Fulco, omnesque ejus discipuli, se suaque omnia Bernardinæ normæ subijcere, etiam illi, qui ad Ruholtense castrum nemusque agebant. Et ea pariter mens se debat Theodorico ac Sibyllæ comitibus, qui nihil adhuc stabilierant seu quoad census, seu quoad fixam structuram... Igitur Bernardus probavit quidem oblatum munus.... sed ad Clarævallenses præeundum sibi, illicque maturius ea de re agendum. » Hæc Malbrancus, adventum ejus ad Morinos in indice chronologico, qui dicto tomo præfigitur, innectens anno Christi 1137, quod improbamus. Et

vero pugnancia loqui ibidem videtur, quia dicit illum adventum, *schismate superato*, accidisse: schisma autem famosum, quod Bernardus exstinxit, finem habuit anno Christi 1138.

309. Antonius Sanderus in Flandria illustrata, lib. IV Rerum Brugensium, cap. 1, pag. 248, scribit ista de laudato Roberto ad nostrum propositum conducentia, quæ nos huc transcribimus in ejus fide: Hujus tempore B. Bernardus venit in Flandriam, et Furnis ad Canonicos S. Walburgis sermonem mellifluum habuit Non. April, anno 1138. Erat et tunc temporis prope monasterium Dunense sacellum D. Laurentio sacrum, in quo ipse incruentum missæ sacrificium obtulit, quod propterea usque ad nostra fere tempora in summa veneratione habitum fuit; sed belli nuperi furis omnino dirutum est. R. D. Carolus de Visch, prior cœnobii B. Mariæ de Dunis, in Bibliotheca scriptorum sacri ordinis Cisterciensis ad nomen Roberti de Brugis, affirmat, eum « prædicatione, sanctaque conversatione divi Bernardi Flandriam visitantis excitatum, » etc. Conferat lector allata jam tot testimonia cum dubitatiuncula Manrici, et videat, hæcne sola potius, an illis probabilius in hac controversia sit standum. De rebus spectantibus ad abbatiam B. Mariæ Virginis de Dunis, quæ olim fuit in agro Furnensi, sed postea ad civitatem Brugensem translata est, consuli potest memoratus supra Sanderus a pag. 246. Hactenus de gestis sancti anno 1138.

310. Manricus anno proxime sequenti 1139 intexit multa de S. Malachia archiepiscopo in Hibernia, celeberrimo et apostolico ibidem viro, et Claravallense institutum etiam amplexo, cujus vitam S. Bernardus conscripsit. Martyrologium Romanum annuam ejus memoriam refert ad diem 3 novembris. Interim aliis enarrandis nos accingamus S. Bernardi factis, ad quorum executionem sicut divina providentia eum modo singulari elegit, ita iisdem honorificentissime perfunctum illustravit summo splendore.

§ XXIX. *Petrus Abælardus; ingenium ejus ac mores; errores recte impugnati a S. Bernardo; hujus mirus cum illo congressus; Arnaldus de Brixia discipulus Abælardi.*

311. Annus Christi 1140, erroribus a S. Bernardo impugnatis atque expugnatis memorabilis, magnam victori laudem, insignem Ecclesiae utilitatem, amplam scriptoribus materiem subministravit. Primus in scenam prodeat Petrus Abælardus seu Abailardus, famosus error ille a via recta, et in meliorem reductus opera et dexteritate ejusdem sancti. Quam de hoc negotio meditator collectionem, conducet ad plenioram declarationem Vitæ sancti doctoris nostri a Gaufrido continuatæ, lib. III, cap. 2, num. 164, ubi sic loquitur: « Fuit in diebus illis Petrus Abælardus, magister insignis et celeberrimus in opinione scientiæ; sed de fide perfide dogmatizans: cujus cum blasphemis plena gravissimis volitare

undique scripta cœpissent, profanas novitates vovum et sensuum viri eruditi atque fideles ad Dei hominem retulerunt. » Expendamus hic primo ipsam Petri personam, studiorum, ingenii ac morum ejus imaginem repræsentantes. Pagius in Critica Baroniana ad annum Christi 1113, num. 13: « Florebat, inquit, hoc tempore in Gallia Petrus Abælardus Namnetensis, qui calamitatum suarum historiam composuit in sua prima epistola ad amicum scripta. Natus ad litteratoriam disciplinam, ut ipsemet asserit, facile eam didicit, præsertimque dialecticam; cujus discendæ percupidus diversas disputando perambulavit provincias. Parisios venit ad Guillelmum Campellensem, in hoc tunc magisterio re et fama præcipuum: cui primo acceptus, sed postmodum gravissimus fuit, quod nonnullas ejus sententias refelleret, et de suo ingenio nimis præsumens adhuc adolescentulus, Meloduni paucis leucis Parisiis dissiit, et Campello vico, ubi Guillelmus in lucem venit, scholas aperuisset. » Sed audiamus ipsam Abælardum in epistola 1, cap. 2: « et ab hoc, ait, scholarum nostrarum exordio, ita in arte dialectica nomen meum dilatari cœpit, ut non solum condiscipulorum meorum, verum etiam ipsius magistri fama contracta paulatim exstingueretur.

312. « Hinc factum, ut de me amplius ipse præsumens, ad castrum Corboli, quod Parisiacæ urbi vicinissimum est, quantocius scholas nostras transferrem, ut inde videlicet crebriores disputationis assultus nostra daret importunitas [opportunitas]. » Hæc ille. Pergamus cum Pagio. « Interim Guillelmus Campellensis currenti anno, ut docet Albericus in Chron., episcopus Catalaunensis creatus, a consueto philosophiæ docendæ studio non destitit, et ad ejus scholam Abælardus Corboli Parisios venit. Sed cum rursus magistro gravissimus esset, dialecticæ docendæ ipsemet operam dedit, et post aliquod tempus Melodunum reversus, scholas ibi rursus aperuit. Tandem Parisiis sacram Scripturam legit, et Petrus Lombardus postea episcopus Parisiensis, ejus theologiæ usus in compositione sententiarum, ut prodit Joannes Cornubiensis, ipsius Lombardi discipulus, in suo Eulogio ad Alexandrum III papam. » Habes hic, lector, de ingenio Abælardi ac studiis: nunc intellige de moribus, seu potius de amoribus ejus, e Pagio, qui num. 14, sic pergit:

313. « Fulbertus, canonicus ecclesiæ cathedralis Parisiensis, eum rogavit, ut successivis horis Heloissam, nobilem virginem neptem suam, forma præstantem, doctrina præstantiorem, et tota Gallia ob eruditionem, eximias animi dotes, et peritiam Hebraicæ, Græcæ, et Latinæ linguæ postea celebrem; tam linguis, quam philosophicis, aliisque liberalibus artibus imbueret. Verum Abælardus amoribus ejus illaqueatus, ipsam quoque suis illaqueavit, et ex ea concepit filium nomine Astrolabium; quod scelus honestis nuptiis, consentiente

A Fulberto, imminuere voluit, et dum interim scholis vacaret, Heloissam cum Argentoliensibus monialibus recludit, monitam tamen ne velum indueret. At Fulbertus et Heloissæ consanguinei eum sibi illuisse putantes, qua parte peccaverat, crudeliter mutilarunt, et eunuchum effecerunt; indeque ipse pudore suffusus, monachum in monasterio S. Dionysii juxta Parisios induit; ipsa vero ab episcopo velum accepit in monasterio Argenteolensi Lutetiæ vicino, in quo postmodum priorissa et abbatissa fuit. »

314. Deinde num. 15, nonnullis interjectis de scholæ Abælardi celebritate, Adamo abbate S. Dionysii docere eum permittente aliorum rogatu, nec non de spurcitiis tunc temporis apud istius abbatiae ascetas, ex eodem Abælardo; quas « ego, ait, frequenter atque vehementer modo privatim, modo publice redarguens, omnibus me supra modum onerosum atque odiosum effeci. Qui ad quotidianam discipulorum nostrorum instantiam maxime gavisi, occasionem nacti sunt, qua me a se removerent; » his, inquam, interjectis subdit ista laudatus Pagius: « Sed dum magnorum et parvorum odiis in eum ardentibus ipse nimis ingenio suo indulget, aliosque despicit, sicut manus ejus contra omnes, sic manus omnium contra eum armantur, et variis erroribus insinulatur, uti anno 1121 de concilio Suessionensi, annoque 1140 de Senonensi verba facientes videbimus. Quæ paulo fusius nobis tractanda fuere, quia ejus Opera non nisi post mortem Baronii, annoque 1616 ab Andrea Duchesnio e tenebris eruta et notis illustrata. Vide quæ anno 1166 de Gosuino abbate Aquicinctensi dicemus. » Hactenus Pagius. Nos vero tum superiora huc transcripsimus, tum plura inferius his superaddemus, ut suppleamus et elucidemus breviter Gaufridi biographi; ad cujus verba de Abælardi erroribus, seu, ut cum eodem Gaufrido loquar, *blasphemis*, colligere sequentia visum est. Non disputo autem, ad vitandos cavillos, de animi ejus sensu, sed de sensu, quem verba scriptoris ipsa præferunt.

315. Expendamus itaque secundo, in quibus *de fide perfide*, uti dicebat Gaufridus, *dogmatizaverit* Abælardus. Opera istius auctoris edidit Franciscus Ambæsius, anno 1616 typis Parisiensibus impressa, simul cum Præfatione apologetica pro eodem scriptore, in qua producit septemdecim capitula, « quæ magnus ille D. Bernardus Clarævallis abbas misisse dicitur Innocentio II papæ, reperta, si credere fas est, partim in libro Theologiæ, partim in libro Sententiarum, partim in libro cui titulus est: *Scito te ipsum*; quos duos postremos libros Abælardus negavit a se scriptos. De his erroribus detestandis quibusvis potest hoc usurpare: Heu cadit in quemquam tantum scelus! » His præmissis, capitula illa subdit; quæ inde apud Manricum transcripta sunt ad annum 1140, cap. 4. Dein classicum insonat apologiæ auctor contra S. Bernardum, et alios in hoc argumento,

pro Abælardo. At non hujus loci apologiam istam expendere pluribus vel refellere. Pro S. Bernardo loquar inferius, loquar item contra Abælardum, quantum in rem nostram erit satis.

316. Ad errores autem Abælardi quod attinet, famosa de iisdem exstat sancti epistola centesima nonagesima hoc titulo; *Ad Innocentium pontificem de erroribus quibusdam Petri Abælardi*; sed in editione Mabillonii ea refertur inter sancti doctoris Tractatus, opusculo 11 a col. 642, cum Admonitione eidem prævia Mabillonii a pagina 635. Ad ejusdem vero Admonitionis finem. « Posteaquam, inquit, hæc scripseram noster Joannes Durandus, qui tunc Romæ versabatur, ex mendoso codice Vaticano num. 663 ad me transmisit *Capitula hæresum Petri Abælardi*, sequenti epistolæ præmissa, hæc ipsa sine dubio, quæ Bernardus in fine hujusce epistolæ se collegisse, ac pontifici transmisisse significat. Idcirco ea hoc loco præmittere visum est ad ipsius epistolæ illustrationem. » Hæc præmonet Mabillonius; sed nos tam ad ista capitula, quam ad epistolam ipsam lectorem mittimus. Interim ut defendatur æquitas causæ S. Bernardi, nonnulla alia de erroribus Petri Abælardi observanda sunt ex iis, quæ Mabillonius erudite de hoc argumento collegit.

317. In sua Præfatione generali ad novam editionem Operum S. Bernardi, num. 53 memorat: « In primis observare licet, Abælardum longe ante, quam cum Bernardo quidquam commercii habuisset, a Conone, apostolicæ sedis legato, provocatum fuisse ad concilium Suessionense anno 1121 celebratum, atque in eo librum ejus de Theologia, in quo erronea capitula continebantur, flammis traditum fuisse, auctore in monasterium Sancti Medardi retruso. Inde vero egressus, per varios hinc inde discursus, prima sua dogmata disseminare pergit. Hinc hæreticus audit apud plerosque. Quod nomen graviter ferens, Bernardum, quem hujusce convicii auctorem existimabat, ad concilium Senonense anno 1140 invitum ac renitentem pertraxit. Hic coram episcopis et aliis secundi ordinis illustribus viris, iterum auditus Abælardus ipse, atque a Bernardo confutatus; examinata, iterumque præscripta ejus doctrina, intacto auctore, qui ad sedem apostolicam appellavit. Verum intellecto, synodi sententiam ab Innocentio secundo fuisse approbatam, ab appellatione destitit, atque hortante Petro Venerabili in Cluniacense monasterium se recipit, et tandem apud Cabilonem in cœnobio S. Marcelli laudabili fine quievit. » Hæc paulo altius repetita abunde manifestant erronea ejus dogmata in fide. Ad hæc, dum adversus Bernardum deblaterans scribit, ac cornua erigit, perversam suam doctrinam profert in claram lucem; prout videre licet in Admonitione prævia Mabillonii paulo ante laudata; « Hæc idcirco commemoramus, inquit col. 637, ut omnes demum intelligant, quam impie ut de incarnatione, ita de gratia Christi, si non sensit, saltem scripserit Abælardus, et quam merito Bernardus dixerit in epistola 192: *Cum de Trinitate loquitur, sapit Arium: cum*

de gratia, sapit Pelagium: cum de persona Christi, sapit Nestorium. »

318. Et paulo [inferius recte ista repetit Mabillonius: « Hæc, inquam, ideo commemoramus, ut pudeat eos, qui hos errores detestantur, quod Abælardi causam suscipiant adversus Bernardum, quem præcipitis in Abælardum judicii, ac nimis impetiginis accusare porro non verentur. Eodem fere modo atque Abælardus, Trinitatis mysterium explicat Guillelmus de Conchis: cujus iidem errores confutat Guillelmus S. Theoderici abbas in epistola ad Bernardum. Adeo nihil infelicius cadere in religionem potest, quam cum philosophi ex sola ratione, fidei nostræ mysteria explicare conantur. » Et mox idem auctor de toto Abælardi negotio tractat ex Gaufridi, sancti Bernardi notarii, epistola ad Henricum cardinalem et episcopum Albanensem: cujus epistolæ verba tum ibi, tum in Chesnii notis in Abælardum, ibidem citatis legi possunt; ut mittam, quæ de viso Henrici canonici Tornacensis ad Patres synodi Senonensis atque ad Bernardum relato, narratur in Spicilegii Acheriani tomo XII, pag. 478 et sequente.

319. Ut veroluculentius appareat æquitas causæ, ac prudentia sapientissimi doctoris nostri in persequendis tam ardenti studio Abælardi erroribus: quamquam affatim sufficiant, quæ de iis jam præmissa a nobis sunt, quædam præterea hisce superaddimus de hujus contra illum defensoribus: « Primus, ait Mabillonius in sua Præfatione generali num. 55, adducitur Abælardus ipse, qui in Apologia sua conqueritur, sibi quædam *per malitiam (imposita fuisse; in primis quod) Pater sit plena potentia, Filius quædam potentia, Spiritus sanctus nulla potentia (quæ verba) non tam hæretica quam diabolica* abhorret, nec in suis scriptis posse reperiri affirmat. Verum de hoc aliisque capitulis agendum in observationibus ad Bernardi opusculum 11. Interim in eadem Apologia sua fatetur Abælardus, se aliqua scripsisse *per errorem, quæ non oportuit, (at) nil per malitiam, aut per superbiam*, additque se, si qua per multiloquium excessit, paratum semper esse *ad satisfactionem de male dictis (suis) corrigendis sive delendis ac demum se Ecclesiæ filium cuncta, quæ recipit, recipere; quæ vero respuit respuere*, Bene. Nolumus Abælardum hæreticum: sufficit pro Bernardi causa, eum fuisse in quibusdam errantem: quod Abælardus ipse non diffidetur.

320. Quid vero contra sanctum doctorem, aut pro Abælardo Otto Frisingensis lib. 1, cap. 47? Nimirum Bernardum *ex Christianæ religionis fervore zelotypum, et ex habituali mansuetudine credulum (adeo) ut magistros, qui humanis rationibus et sæculari sapientiæ confiderent nimium inhærebant, abhorreret, et, si quidquam ei Christianæ fide absolum de talibus diceretur, facile aurem præberet*. Verum hæc ipsa in sancti doctoris gloriam cedunt: cum nihil magis ad doctorem catholicum pertineat, quam ejusmodi homines philosophicis ratiunculis